

# Hochschule für Musik und Tanz Köln - Hochschulbibliothek

**Officium in sabbato sancto**

**s.l.**

Ad Sextam.

---

[urn:nbn:de:hbz:kn38-8204](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:kn38-8204)

## AD SEXTAM.

Dictis secreto, Pater noster, et Ave Maria,  
absolute inchoatur a Psalmis sequentibus.

## PSALMUS.

**D**EFECIT in salutáre tuum ánima mea: \* et  
in verbum tuum supersperávi.

Defecérunt óculi mei in elóquium tuum, \*  
dicéntes: Quando consoláberis me?

Quia factus sum sicut uter in pruína: \*  
justificatiónes tuas non sum oblítus.

Quot sunt dies servi tui: \* quando fácies  
de persecúentibus me iudícium?

Narravérunt mihi iníqui fabulatiónes: \* sed  
non ut lex tua.

Omnia mandáta tua véritas: \* iníque per-  
secúti sunt me, ádjuva me.

Páulo minus consummavérunt me in ter-  
ra: \* ego autem non derelíqui mandáta tua.

Secúndum misericórdiam tuam vivífica  
me: \* et custódiám testimónia oris tui.

In ætérnum, Dómine, \* verbum tuum pér-  
manet in cælo.

In generatióem et generatióem véritas  
tua: \* fundásti terram, et pérmanet.

\*

Ordinatio tua perseverat dies: \* quoniam omnia serviunt tibi.

Nisi quod lex tua meditatio mea est: \* tunc forte periissem in humilitate mea.

In aeternum non obliviscar justificationes tuas: \* quia in ipsis vivificasti me.

Tuus sum ego, salvum me fac: \* quoniam justificationes tuas exquisivi.

Me expectaverunt peccatores ut perderent me: \* testimonia tua intellexi.

Omnis consummationis vidi finem: \* latum mandatum tuum nimis.

**Q**UOMODO dilexi legem tuam, Domine? \*  
tota die meditatio mea est.

Super inimicos meos prudentem me fecisti mandate tuo: \* quia in aeternum mihi est.

Super omnes docentes me intellexi: \* quia testimonia tua meditatio mea est.

Super senes intellexi: quia mandata tua quaesivi.

Ab omni via mala prohibui pedes meos: \* ut custodiam verba tua.

A judiciis tuis non declinavi: \* quia tu legem posuisti mihi.

Quam dulcia faucibus meis eloquia tua, \* super mel ori meo.

A mandátis tuis intelléxi: \* proptérea odívi omnem viam iniquitátis.

Lucérna pédibus meis verbum tuum, \* et lumen sémitis meis.

Jurávi, et státui \* custodíre júdicia justítiæ tuæ.

Humiliátus sum usquequáque, Dómine: \* vivífica me secúndum verbum tuum.

Voluntária oris mei beneplácita fac, Dómine: \* et júdicia tua doce me.

Anima mea in mánibus meis semper: \* et legem tuam non sum oblítus.

Posuérunt peccatóres láqueum mihi: \* et de mandátis tuis non errávi.

Hæreditáte acquisívi testimónia tua in ætérnum: \* quia exultátio cordis mei sunt.

Inclinávi cor meum ad faciéndas justificatiónes tuas in ætérnum, \* propter retributiónem.

**I**NIQUOS ódio hábui: \* et legem tuam diléxi. Adjútor et suscéptor meus es tu: \* et in verbum tuum supersperávi.

Declináte a me maligni: \* et scrutábor mandáta Dei mei.

Súscipe me secúndum elóquium tuum, et

vivam: \* et non confundas me ab expectatione mea.

Adjuva me, et salvus ero: \* et meditabor in justificationibus tuis semper.

Sprevisti omnes discedentes a judiciis tuis: \* quia injusta cogitatio eorum.

Prævaricantes reputavi omnes peccatores terræ: \* ideo dilexi testimonia tua.

Confige timore tuo carnes meas: \* a judiciis enim tuis timui.

Feci iudicium, et justitiam: \* non tradas me calumniantibus me.

Suscipe servum tuum in bonum: \* non calumnientur me superbi.

Oculi mei defecerunt in salutare tuum: \* et in eloquium justitiæ tuæ.

Fac cum servo tuo secundum misericordiam tuam: \* et justificationes tuas doce me.

Servus tuus sum ego: \* da mihi intellectum, ut sciam testimonia tua.

Tempus faciendi, Domine: \* dissipaverunt legem tuam.

Ideo dilexi mandata tua, \* super aurum et topazion.

Propterea ad omnia mandata tua dirigebam: \* omnem viam iniquam odio habui.

**Deinde dicitur flexis genibus: v̇.** Christus factus est pro nobis obédiens usque ad mortem: mortem autem crucis: propter quod et Deus exaltávit illum, et dedit illi nomen, quod est super omne nomen.

**Et dicitur secreto, Pater noster, postea Psalmus, Miserére p. 39.**

### Oratio.

**R**ESPICE, quæsumus Dómine, super hanc famíliam tuam, pro qua Dóminus noster Jesus Christus non dubitávit mánibus tradi nocéntium, et crucis subíre torméntum: Qui tecum vivit, et regnat in unitáte Spíritus sancti Deus, per ómnia sæcula sæculórum. Amen.

### AD NONAM.

**Dictis secreto, Pater noster, et Ave María, absolute inchoatur a Psalmis sequentibus.**

### PSALMUS.

**M**IRABILIA testimónia tua: \* ídeo scrutáta est ea ánima mea.

Declarátio sermónum tuórum illúminat: \* et intelléctum dat párvulis.